

# ALMA ROMA



QVIDQVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

C. DEL VECCHIO.



marum, suis cum filiis!  
is opimis obruti,  
nt iuvenes ad littora  
ma, lacrimantes irrito.  
ti vident qui nec lacrimas  
trum quae pascuntur lu-  
[ctibus]  
eas tulerunt statuas  
rbarum pulsas ad Tiberim,  
olim viderat quod antea  
es ductas a consulibus,  
late gentium perniciem!  
a nobis ingruit calamitas!  
noscunt pietatem Barbari,  
possit pretiosius rapi.  
armillas, torques, monilia,  
ios, coronas, specula,  
tu plenae sunt, clamoribus,  
is quae disperdunt Barbari.  
empla diruant vix obtinu!  
rbi salus nunc fidissima,  
herrimi medela corporis,  
Deus, narrabunt posteri,  
ae populos omnes compete-  
[scuit,  
urpura vidisse et querulam,  
rinibus, discissam vestibus,  
rrantem per urbem squalli-  
[dam,  
cere et queritare auxilium.  
tis placidas epistolas,  
unia captivos vindicas,  
rbaros ad pacem provocas!  
morum).

US FORNARI, Sponsor.

IS POLYGLOTTIS VATICANIS.

# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus

CORSO UMBERTO I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes filiae in Italia praeter 200

...

Sedes filiae apud exteras gentes:

*In Gallia.* - Parigi, Lione.

*In Hispania.* - Madrid, Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borias Blancas, S. Coloma de Queralt, Valls.

*In Helvetia.* - Lugano, Chiasso.

*In civitate libera Flumana.* - Fiume.

*In Aegypto.* - Alessandria, Cairo, Porto Said, Mansourah, Mit Gamr, Tautah, Beni Mazar, Beni Souef, Fayoum, Magagha.

*In Turcarum imperio.* - Costantinopoli.

*In Asia minore.* - Smirne, Adalia.

*In Syria.* - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli.

*In Palaestina.* - Gerusalemme, Caiffa, Giaffa.

*In insula Melita.* - Malta.

*In Aegeo mari.* - Rodi.

¶ Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt. ¶

## Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,  
pretio quod sequitur:

JOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina col-  
loquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine  
percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,10.

JOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandium**, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulæ lib. 1,50; ambae lib. 2,60.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** - Si tegu-  
mento solut. lib. 3; si xyлина structura aureoque titulo, lib. 4.

I. B. FRANCESIA **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticæ. - Sin-  
gulæ lib. 1,50.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI **Arrhae Gorgoniae,** Milesia fabula. - Lib. 1,50.

(*Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus  
pretium, iuxta normam libell. 0,50 pro singulis exemplaribus.*)

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Graecia drachm. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Roman*, 12, Via del Governo Vecchio, 96.

○○○ ○○○ ○○○ ○○○ ○○○ ○○○ ○○○ ○○○

## DE IUDAЕIS

NOVUM SIBI IMPERIUM AFFECTANTIBUS<sup>1</sup>

Anno MCMII Petropoli in urbe opus doctoris cuiusdam Sergi Nili in Hebraeos editum est, documentum in sua appendice continens, cui titulus: *Protocolla Seniorum Sion*; in quo per singularia capita prospectus ex omni parte perfectus referatur ad res totius orbis evertendas et Hebraeorum summum imperium ubique constituendum. Quamquam res inibi exppositae tam impossibilis apparebant, ut plane aegri somnia viderentur, Nili opus statim ex commercio sublatum est, exemplaribus eius, ubique essent, ab ignotis emptoribus acquisitis. Eamdem fortunam altera libri editio obtinuit, quae proxime, alio titulo et sine nomine auctoris, subsequuta est, pariterque tertia, et quarta ab auctore anno MCMXI resumpta.

Exarsit deinde fatale bellum; rerum eversio in Russia successit, interemptoque Caesare, novum gubernium quod a liberato populo nomen sibi assumpsit: tum Nilus iterum opus suum typis mandavit. Ecquid vero? Quum volumina in promptu

sunt ut per orbem diffundantur, ex improviso incendio omnia comburuntur.

Undenam insoliti huiusmodi eventus causa?

Ratio patuit iis qui *Protocolla* legere potuerunt — nonnulla enim exemplaria disperditionem effugere, unumque Londini est in Britannico museo asservatum — quum « bolscevismum » in Russia impositum est, studebantque eius fautores in Bavariam Hungariamque illud importare; patuit, quum *Protocollorum* proposita cum eventibus conlata sunt, qui in illis civitatibus facti erant, aliisque qui alibi siebant; ex quibus in tuto ponere licuit, documentum illud multo ante bellum exaratum fuisse, minime vero post facta arte creatum, ideoque fidem merere; quam quidem auctores plures — *Protocolla* enim nunc, in varios sermones versa, longe lateque diffusa sunt — validis argumentis demonstrarunt.

Spatii angustiae, quibus urgemur, nos prohibent quominus ea peculiariter sectemur; non vero quin nonnullas historicas item moralesque deductiones inde hauriamus.

Iudei scilicet tamquam sibi debitum universi orbis imperium in illis affirmant. Ut hunc finem unice adipiscerentur, Jehova permisit electum populum suum per om-

<sup>1</sup> Cfr. fasc. mens. Novembris et Decembris MCMXXI.

nes nationes dispergi, quo eas, obliquis occultisque viis, ditionis suae faceret in eaque teneret. Ad suprema illa proposita demum assequenda opera quaelibet impendi poterunt: a fine enim opera iustificantur. Ceterum Gentiles - (hoc nomine Christiani in *Protocollis* appellantur) - tamquam Hebraeorum pares minime habendi sunt, immo vero servi a Jehova sibi dati; itaque nationis Hebraicae spiritus Christianorum odium et contemptio esse debet.

Summi imperii Hebraici adventus dupli tempore fiet, in quorum primo societas quaevi, nunc constituta, evertenda ab imis fundamentis est, ad impotentiam quovis humanae navitatis principio, praeter auri, redacto; in altero super ruinis Christianarum civitatum novus Iudeorum statutus erigendus est, novis fundamentis, non visque pronunciatis.

Eversionis vis per secretas societas maxime proferetur: plerique vero eorum qui nomen suum ipsis dederint, maxime si Gentiles, earum verum finem ignorabunt. Sufficiens erit formula: Libertas - Aequalitas - Fraternitas, cui inconsiderate fidem omnes praestabunt; nullaque vero fides, quippe absurdæ, ipsi formulae a diligentibus praesidibusque tribuetur. Hebraico statu constituto, secreti coetus omnes omnino vetabuntur. Ad hodiernam hominum societatem dissolvendam iuverit etiam simultates atque certamina inter hominum classes excitare. Qui igitur rem moderaturi erunt tamquam insciis instrumentis per opportunitatem utentur pauperibus simul et anarchistis, servatoribus qui nuncupantur atque nationalistis, socialistis, communistis, etc., dato vero ultimis hisce, ut ita dicamus, praelationis iure. Inter classes autem certaminis fundatum oeconomia res erit, et unicuique eiusdem certaminis parti finis erit pecuniariae sortis auctio; quae quidem sors in Hebraeorum manus demum omnino cedet.

Quo facilius opificum catervis illudatur, salario augebuntur; at eodem tempore augebuntur pretia; operariorum ab opere desertionibus favebitur; identidem vero industiarum detimenta promovebuntur; uno verbo productiva Christianarum civitatum actio omnis delebitur, eorum oeconomica ruina provehetur, ut ii Iudeorum mancipio omnino supponantur. Quod si fortiter nimis ab iis repugnetur, animus per morales corruptionis vias enervabitur, neque a physicis rationibus quibuslibet, ab ipsaque caede, ubi oportuerit, abstinebitur.

Auctoritas omnis ab administris ceterorum cultuum removebitur; docendi libertas oppugnabitur; schola immo sub Hebraeorum potestate et ipsa erit, non aliter ac diurna et commentarii, ars, litterae atque disciplinae, in quibus maximus successus parabitur auctoribus iis, qui magis in mentium animorumque corruptionem influent, uti Darwinius, Marxius, Nietzsche; quorum peculiaris in *Protocollis* mentio sit.

Bella denique inter populos vel universi orbis promovebuntur. Super socialibus politicisque ruinis, quae inde manabunt, passim Iudaica dictatura exstructetur, ad quam, in auro reipsa positam, sponte populi, pacem tandem appetentes, accendent. Nova gubernii forma « autocratica » rigide erit; rex e Davidis stirpe Gentilium regem - nempe Romanum Pontificem - substituet.

\* \*

Maiores dicebant veram scientiam esse in principiis, non quidem in re una et individua. Nonne huiusmodi praeceptum et hodiernae societatis vitae tribuamus, cuius saepe obliviscimur, ut singulas res, singulos eventus aestimemus?

Immani illi bello, quod per annos quatuor et ultra nos vexavit, vehemens pacis desiderium successit ubique; atvero videmus omnes verae pacis adventum pro-

cul adhuc abesse, hominesque, unum quemque pro sua parte, inscos licet, ad eius abscessum conferre. Undenam hoc? Ecquis hunc discordiae spiritum ait, sustentat? Cui cordi est, ut haec quasi terrae permixtio in dies amplificetur, populi exanimis magis fiant?... Legimus in *Protocollis* (IX): « Nos in servitute nostra cuiusvis consilii et partis homines habemus, a nobis subiectos, quorum quisque in potestatis reliquiis incendiarios cuniculos agit, legesque quae nunc sunt destruere nititur. Ita populi torquentur et excruciantur, utque a tormentis liberentur ad omnia sacrificia ferenda parati sunt. Nos vero nullam illis pacem relinquemus, donec altum nostrum internationale gubernium ii recognoverint ».

Huiusmodi multis abhinc annis prolata verba cum factis, quorum testes nunc sumus, composita, aperte satis loquuntur, docent, monent... Ne nobis repetendum sit quod Sergius Alexandrowitch, e Russica stirpe magnus dux et ipse Moscoviae deinde interemptus, Nilo *Protocollarum* exemplar sibi oblatum restituens, clamavit: « Sero nimis! »

\*\*

## DE POËTARUM ELEGIACORUM COMPARATIONIBUS<sup>1</sup>

### Artes fabriles.

Carpentarium commemorat THEOCRITUS (XXV, 247):

ώς δ' ὅτ' ἀν ἄρματοπηγὸς ἀνήρ πολέων ἕδρις ἔργων ὄρτηκας κάμπτησιν ἐρινεοῦ οἰκεάτοιο,  
θάλψας ἐν πυρὶ πρῶτον ἐπαξονίφ κύκλα δίφρῳ  
τοῦ μὲν ὑπὲκ χειρῶν ἔφυγεν τανύφλοιος ἐρινεός  
καμπτόμενος τῆλον δὲ μῆρ πήδησε σὺν ορμῇ

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

spectans (Δ, 485):

τὴν μὲν θ' ἄρματόπηγος ἀνήρ αἴθωνι σιδήρῳ  
ἔξέται' ὄφρα ττν κάμψη περικαλλέ εἶφρῳ.

Fabrum aerarium ANACREON induxit (fr. 47): Μεγάλῳ δηντε μ' Ἐρως ἔκουφεν ὥστε  
χαλκεύς πελέκει.

VERGILIUS: (*Georg.*, IV, 263): *Aestuat,*  
*ut clausis rapidus fornacibus ignis.*

OVIDIUS (*Met.*, IV, 122):

*Non aliter, quam cum vitiato fistula plumbō  
scinditur et tenui stridente foramine longas  
eiaculatur aquas atque ictibus aera rumpit.*

Idem (*Met.*, XX, 170):

*Ipse crux, gelido ceu quondam lamina candens  
tincta lacu stridit coquiturque ardente veneno.*

Et ibid. (XII, 276):

*Terribilem stridore sonum dedit, ut dare ferrum  
igne rubeus plerumque solet, quod forcipe curva  
cum faber eduxit, lacibus demittit, at illud  
stridet et in tepida summersum sibilat unda.*

Ante oculos habuit (Δ, 391):

ώς δ' ὅτ' ἀνήρ χαλκεύς πέλεκυν μέγαν ἡε σκέπαρνον  
εἰν ὑδατι ψυχρῷ βάπτη μεγάλα ιάχοντα  
φαρμάσων.

Quae leguntur (*Met.*, XV, 303): *Ceu spi-  
ritus oris tendere vescicam solet aut di-  
repta bicornis terga capri ad utrium atque  
culleorum fabricationem revocanda esse,  
nemo non intelligit.*

(Sequuntur).

ALEXANDER AURELI.

## DE PASSIONIS DOMINICAE MYSTERIO IN CIVITATE OBERAMMERGAU

Trans Monachium, Bavrorum urbem caput, meridiem versus, trium horarum itinere ab urbis moenibus, Oberammergau oppidum prima Alpium iuga, in Ambrae fluminis valle, circumeunt.

Incolae, montani plerumque, moribus integerrimi, viribus praevalidi, bis millia numerum vix attingunt; domus, quas inhabitant, humiles, complanato tecto, ingentibus hīc vel illic saxis compresso, vel scararum imaginum, vel agrestium, laetis coloribus renident.

Ligneā sculptilia oppidanis fere omnibus ars, qui cruces, sacras imagines, Rossarii granulos indesinenter, mira calliditate, effingunt, sedulaque patientia scalpunt. Chronicon exstat, tribus abhinc saeculis redactum, anno videlicet MDCXX, quo iam Oberammergau incolae, prouti arte scalpendi ligna peritissimi, magnis laudibus cumulantur. Quae quidem pietatis obiecta, simplici atque ingenua arte efficta, mercatores in Austriam atque in Tirolenses deferunt, et, non sine lucro, venalia faciunt. Contigit inde rusticis diffusa laus; at eorum fama minus late certe insonuisset absque sacro *Passionis mysterio* (*Passionsspiel*), quod ipsis in decennium sollemnē est, et ob rerum conversarum vi cissitudines, pro anno MCMXX, his diebus agitatur.

Huiusmodi spectaculi antiquitas minus abest quam quis forte crediderit; origines autem satis sunt vulgo compertae. Anno MDCXXXIII tētrima pestis lues Bavariam depopulabatur. Oberammergau oppidum, montibus, ut diximus, circum occlusum, nullum adhuc morbi detrimentum expertum fuerat, neque extraneum ullum suis in finibus morari hac de causa tolerabat. Accidit autem, inopinato, ut, die dedicationis oppidani templi sacro, operarius quidam e finitimis gentibus, detorta via, sese in portas immiserit, ut seriis adesset. Verum, malo fato, morbi tabe correptus, eam statim civibus communicavit, quorum brevi quatuor et viginti, dira morte confecti, occubuerent. Tunc votum Deo universa rusticorum plebs vovit, ut flagellum a suis finibus arceret, sese filios nepotesque, in ultimum usque aevum, publicum ludum

quotannis habituros, in finitimorum bonum exemplum. Exceptit benigne Deus supplicum preces, qui inde per quadragesita annos, ad annum usque MDCLXXX, promissa fidelitate exsolverunt.

Attamen, ob ingentem pecuniam, quam ad sollemnes ferias impendere opus erat, decimo quoque anno eas haberi deinde constitutum est; anno autem MDCLXXX Bavariae, qui dicebatur, Elector oppidanis privilegio adscripsit, ut reliquis omnibus civibus exclusis, ipsis tantum ius earum sollemnitatum esset. Confirmavit haec Iosephus rex anno MDCCX, iterumque Ludovicus I et II, qui ei successere, quorum alter regionis solitudinem carissimam habebat, et Linderhof palatum decem millia passuum ab oppido sibi constituerat.

At longe vetustiores libri, qui scenicam actionem ad amussim describunt; quorum alterum manu scriptum in Nationali Monachiensi bibliotheca Hartmann doctor reperit, hoc titulo: *Tragedj auss der heiligen Schrift, von dem Leydeu und Sterben, auch die Aufferstehung unseres Herren Jesu Christi*; quod est: *Tragoedia e Sacris Scripturis deponpta circa passionem et mortem et resurrectionem Domini Nostri Jesu Christi*.

Est alter a quodam Sebastiano Wild sarcinatore conflatus, quem Augsburgense cives in ludimagistrum deinde, atque in cantorum sua civitatis collegium adsciverunt, ita ut plane intelligatur qua de causa eius sermo versibus distinguatur more cantorum descriptis, qui media, quam dicimus, aetate floruerunt.

Has vero versiones aliam cum alia in Ettalico monasterio Patres e Societate Jesu composuerunt atque vulgarunt, etsi deinde, quoties iterata actio est, toties multa revisa, multa addita, dempta atque immutata fuerint.

Praecipuam operis revisionem tradunt a Ioanne Aelbl sacerdote peractam, qui primus hominis animam cum Iesu collo-

quentem invexit. Saeculo autem xviii Ferdinandus Rosner e Societate Jesu «exhibitionem» addidit, hoc est viventes, ut aiunt, tabulas ex Antiquo Testamento de promptas, itemque sex Geniorum chorūm, quem coryphaeus moderabatur.

Dubia et quaestiones, saeculo xviii delabente, circa sacras huiusmodi actiones excitata, multa praecidi abrādique expositularunt, quoisque anno MDCCXI et MDCCXV Octomarus Weiss, Ettalii parochus, rem funditus reformavit, Rocho Sedler, oppidi ludimagistro adiuvante, qui musices concentus in volumine adnotavit. Fuit autem princeps Weissii consilium, ut Christi passionem per scenicas actiones exhibens, iuxta Evangelii dicta ad unguem ficeret, tabulasque ex Vete Testamento excerptas singulis praemitteret, quas Geniorum chorus gestu et voce commentaretur. In sermone autem soluta oratio antiquis versibus suffecta est; atque huiusmodi revisio, etsi Deisenberger parochus nonnulla et ipse innovaverit, integra tamen vel hodie exhibetur.

Sunt autem in textu pulcherrima multa, sunt et mediocria itemque inepta, de quibus libelli innumeri disseruere. At immutationum eius historiam, religionis pietatisque sensus, prouti in montanis illis populis diutissime viguere, perbelle comitantur, qui a decennio omnes incumbunt, maxima fide ac studio, ut sacrae actioni sese, moderantibus parochis, praeparent, sacrorumque librorum spiritu imbuant.

Theatrum immane quattuor millia spectantium multitudini patet. Scena, ad decimi octavi saeculi stilum exstructa, quinque in partes dividitur, quorum media, velario occlusa, cum circumstantibus componi brevi potest; sunt autem ad latera Pilati et Caiphae domus. Proscenium latissimum choro et multitudini sternitur; Alpium denique candidi vertices, nitidumque caelum, parietem ultimam scenae praebent.

Actio a nona usque hora ad decimam septimam producitur, vix mora unius horae ad meridiem intermissa, et in quatuor partes distinguitur, in decem et octo actus divisas, quibus et duplex prologus adiicitur. Prima ex ingressu Domini in Ierusalem usque ad capturam in Gethsemani, secunda usque ad examen coram Anna Pontifice, tertia usque ad Christi mortem res complectitur, quarta a resurrectione ad ascensionem.

Laudaverunt multi quanto studio quanto diligentia Bavarorum rustici suis personis gerendis intendant, qui iam sese existimare videntur haud quidem fideles tantum votum maiorum explentes, sed veluti electum quemdam populum inter incredula atque impia saeculi scelera ad fidei missionem gerendam vocatum. Inde quicumque tum ex veteris, tum ex novi orbis regionibus ad Oberammergau hoc tempore advenerint, sive fideles sunt, sive increduli, Passionis huiusmodi indelebilem memoriam asservant.

L.

## AESTHETICAE NOTAE

### De variis rationibus quibus pulchrum manifestatur.

Pulchrum vario modo manifestatur; inde divisiones inductae sunt, classes, et pulchri gradationes, de quibus breviter dicere hodie aggredimur.

Praestat vero ante omnia quibus vocibus pulchrum apud antiquos fuerit appellatum in mentem revocare.

Graeci variis nominibus pulchritudinem expressere, quorum notissimam τὸ κάλλος illud ex incerta origine, de quo S. Thomas: «Pulchritudo rapit omnia ad desiderium sui; unde et pulchrum apud

Graecos dicitur *kallos*, quod est *vccans*; et nota quod in hoc fuit deceptus alias translator. *Kallos* enim per duo *l* scriptum, significat pulchrum apud Graecos; per unum vero, ibi significat bonum. Et ideo semper transtulit bonum pro pulchro, et ideo in parte ista alia translatio est tota vitiosa».<sup>1</sup>

Apud Latinos autem pulchri notio per varia synonyma expressa est.

Vox *pulcher*, quasi *πολύχρως*, multicolor, a *πολύ* et *χρῶς* orta videtur, ut *pulchrum* prope sit quod multum coloris atque nitoris habeat. Hoc etymon cum pulchri definitione optime quadrat. Quamquam alii aliter sentiunt.

*Bellus* - ex quo italica vox *bello* - contractum est nomen pro *benellus*, ab antiquo *benus*, ex quo hodie *bonus*, quid iucundum vel commodum denotat.

*Speciosus* saepe pro pulchro ponitur. Species a *specio*, proprie est quod in aliqua re extrinsecus appareat et oculis cernitur.

*Formosus* est forma praestans. Formosa igitur dici non posse videntur, quae sensu carent, aut quibus sensus non tribuitur.

*Venustus*, quia est a Venere, tantum de foemineo sexu dicendus videtur. Itaque Cicero:<sup>2</sup> «Quum pulchritudinis duo genera sint, quorum in altero sit venustas, in altero dignitas, venustatem muliebrem dicere debemus; dignitatem virilem».

*Decorus* dicitur ex rebus bene gestis. Decor enim est pulchritudo quaedam ex decentia rerum, personarum in locis ac temporibus, sive in agendo, sive in loquendo. Itaque «decorus forma; decora facies; non est decorum seni desipere» et similia.

*Lepidus* festivitatem iucunditatemque denotat; unde gratum aliquid lepidum di-

cimus; itemque «lepos eloquii; sermo lepidus; mores illepidi».

Et si alia ad rem desideras, grammaticos adeas.

\*\*

Pulchrum omnes illas partitiones habere potest, quas obtinere solet Ens, Verum, Bonum. Hinc sicuti ens ab ente distinguitur, non quidem per aliquid ab ente extraneum, quia natura quaelibet necessario per suam essentiam est ens, sed per maiorem et minorem ipsius entis explicationem vel perfectionem; ita pulchrum a pulchro differt non quidem per aliquid elementum a pulchritudine extraneum, sed per maiorem et minorem rei pulchrae amplitudinem.

Atqui, ratione existentiae, pulchrum in *necessarium* et *contingens* distinguitur. Necessarium illum pulchrum dicitur, quod sine existentia concipi nequit, seu pulchrum, cuius non existentia intrinsecam repugnantiam involvat. Ideoque est pulchrum a se, primum, improductum, absolutum, semper in actu, etc. Contingens vero illud est pulchrum quod sine existentia concipi potest, quod est ab alio, quod non semper est; quod est indifferens ad esse et non esse, etc.

Pulchrum *reale* et *irreale* esse potest. *Reale* dicitur pulchrum *quum habet existentiam (actuale)*, vel saltem eam habere potest (*possibile*) in rerum natura; *ideale* autem quum in mente tantum existentiam habet. Ad hoc contemplandum assurgimus tamquam ad exemplar et formam, quae geritur in mente sive divina, sive humana, et cuius ad imaginem opera naturae et artis conformantur. Itaque in hac contemplatione iucunditas magna et gaudium viri sapientis.

Pulchrum iterum in *corporeum* et *incorporeum* dividitur. Corporeum in materiae rebus et sensibiliibus refulget; eamque sensibilem pulchritudinem plures

<sup>1</sup> Cfr. *Comm. in lib. S. Dionys.* - «*Scienza e Fede*», pag. 400.

<sup>2</sup> *De off.* I, 36.

tanti fecerunt et faciunt, ut praeter eam nullam aliam arbitrentur. Attamen evidentissime patet pulchrum corporeum in toto pulchritudinis gradu extremum atque infimum locum obtinere.<sup>1</sup>

Incorporeum in rebus immaterialibus refulget, et subdividi potest in *intellectuale*, *moralē* et *spirituale*. Intellectuale conspicuum fit in mentis cognitionibus; itaque recte dicimus pulchram veritatem, pulchram orationem, pulchram doctrinam vel disciplinam. Pulchra pariter sunt clarissimorum hominum inventa, pulchra sententiarum sapientia, dignitas effatorum, dicta ingeniosa et arguta, parabolaram virtus, antithesis et allegoriae dexteritas.

Pulchrum morale actiones liberas seu bonos mores afficit. «Quid est autem clamat Augustinus,<sup>2</sup> - aliud iustitia, quum in nobis est, vel quaelibet virtus, qua recte sapienterque vivitur, quam interioris hominis pulchritudo?». Huiusmodi pulchritudo physica venustate est praestantior; qua re etiam in corpore deformi, ea quae iuste, fideliter, temperate ac fortiter facta sunt, pulchra esse existimamus. Sicut autem artifex in commodiore materia melius operari solet, sic verecundia, candor, pax, benignitas, etc., in ipso quoque corporis decore plus eminent. Pulchrum denique spirituale inest substantiis immaterialibus, nempe animae humanae, angelis, Deo. Hoc pulchrum, quamvis intellectui nostro aptius obiectum sit, tamen *in se* et absque phantasiae elemento attingere in hac vita nostra minime valemus.

\*\*

Quod autem pulchrum in viventibus? In primis de illo pulchro, quod ex statu *psychologico* oritur, peculiaris ratio habenda est, quum istud in naturis viventi-

<sup>1</sup> Cfr. S. AUGUST., *De civ. Dei*, lib. XII, c. 4, et lib. XV, cap. 22.

<sup>2</sup> *Epist. 2 ad Consentium.*

bus exoptetur et in artis operibus praecipue colatur et exprimatur.

Unionis illius gratia substantialis, quae corpus inter et animam viget, fit ut viventium, formae, summopere vero anima humana spiritualis, interiorem praesentiam suam invisibilemque naturam per membrorum speculum extrinsecus manifestent: «Omnis enim motus animi suum quemdam a natura habet vultum et gestum: animi imago vultus est». Itaque solemus sapientiam vel insaniam mentis, levitatem cordis, morum honestatem animique affectiones in vultu adstantium, in oculis praesertim, legere et scrutari. Pulchrum igitur *psychologicum* clara atque spirans patefactio est interioris vitae per membrorum motus ac dispositiones. Haec interior animi vita, cuius singuli consciit sumus, suas habet doloris et gaudii vicissitudines, suis subiacet motibus, sua discipit ornamenta, suas perficit vires, suos miscet conflictus, suos assequitur triumphos. Et quemadmodum generis humani historia certis consignata monumentis iucundum solet legentibus praebere spectaculum, ita non minus nos delectat rebus iis, quas animus in singulis hominibus aut molitur, aut patitur, diligens et sincera descriptio. Quum tamen operosum sit minima quaeque in affectibus notare, et veluti acu tangere, multoque operosius eadem e suis latebris in apertam lucem educere; per pauci admodum scriptores et artifices inveniuntur, qui plane et ad votum id faciant.

\*\*

Pulchrum denique *spirituale*, quod in Deo inest, dicitur *supernaturale*, et per quamdam participationem angelis tributur, et hominibus qui specialem habeant cum Deo communicationem. Sed haec supernaturalis pulchritudo sensibiliter eminenterque in Filio Dei resplenduit, qui

<sup>1</sup> Cic., *De orat.*, lib. III.

formam hominis induit; quin immo in Christo Iesu omnis divinae humanaeque pulchritudinis ratio effusit.

Emicuit pariter in Deipara Maria, matre item et virgine, speculo sine macula vel originali; quam merito igitur tabulae, marmora, templa, musicae, poëmata, generations omnes formosissimam decantant.

Praeterea tota Christi Ecclesia supernaturali pulchritudine insignitur, quae proinde pulchras artes alere et favere semper studuit. Fides sancta, lucido induta velo, suorum hostium semper victrix; spes adamantina; charitas regina virtutum; martyres sanguine purpurati; virgines ferentes virtutis suae lilia; gloria caelestis, nonne pulcherrima specie sua mentem subeunt animosque rapiunt? Nonne aptissimam claris ingenii suppeditant materiam, dummodo artifex congruis imaginibus ac symbolis eximiam formam et speciem supernaturalis rei convenienter induere valeat? Profecto non aliunde Lysippus, Parrhasius, Phidias, Vergilius, Aligherius, Miltonius, Raphaël, Bonarrotus, aliquie eiusmodi virtutis, immortalia opera sua deduxerunt.

Falluntur igitur omnes illi, qui existimant supernaturalia argumenta non assunda esse in artibus pulchris: nihil enim tam proprium aptumque inveniri potest ad gignendum in nobis sublimis afflatum, quam quod super naturae vires vigere certe cognoscimus.

G. LEPORE.

## MONITA.

Iisdem rerum adiunctis perdurantibus, quae in superiori anno, fasciculi mens. Augusti et Septembri in unum colligentur, qui Kalendis Septembribus proibit.

Clarissimos autem socios, qui nondum rationes suas cum nostro administratore exaequaverint, vehementer rogamus ne ulterius id facere remorenatur. A. R.

## BENEDICTO XV P. M.<sup>1</sup>

*Non aere sculptas, Maxime Pontifex,  
nec exaratas marmore posteri  
discent tuas laudes, opinor,  
quove fuisti animo paterno.*

*Iniqua iustis tempora vivimus:  
quicunque faustis creverit ausibus,  
huic vulgus assentatur uni,  
huic titulos statuasque ponit.*

*Sed re perenni codice Veritas  
tuumque nomen consecrat arbitra,  
vel mille post annos merentum  
facta virum revocare sollers*

*et non caducis tollere honoribus  
quoscumque livor presserat invidus,  
aut temporis fluxus probrosa  
obruerat taciturnus umbra.*

*Sic est: nepotum iudicio manes  
quantus fuisti bella per impia,  
cum pacis incassum sequester  
arma piis cohibere votis*

*clademque es ausus carpere inutilem,  
non Tu supremi muneric immemor  
seu frena victori ingerenda  
seu mala dura levanda victis.*

*Captiva pubes innumerabilis,  
inclusa septis more bidentium,  
plerumque sub divo per aestus  
perque hyemes moribunda vixit,  
cui pauca panis frustula patrii  
placare atrocem vix poterant famem:  
languore secreto peresa  
immerita occubuit iuventus,*

<sup>1</sup> Carmen hocce Amstelodamum submiseram mense Septembri superioris anni, tunc quum Benedicti XV P. M. supremum diem adeo mature adventurum esse, nemo suspicatus fuisset. Ab Hollandis iudicibus inter ea poëmata recensitum fuit, quae, etsi laude digna haberentur, tamen hoeuffianis sumptibus non essent edenda ». Haec adnotanda censuit auctor; nos vero carmen idem libenter edentes in dubium ponimus an Amstelodamenses iudices severi nimis de eo fuerint. - A. R.

*quam multus olim frigore decuti  
flos, vere primo, suevit amygdali:  
nec adfuit supra in hora  
vox miseris facies nota!*

*Sed Tu paterni haud officii minor  
servare certa a morte superstites  
pugnas et invictus redemptas  
restituis laribus catervas.*

*O laeta festis frondibus atria  
ornate, cives! o redeuntium  
certatim in amplexus ruentes  
Pontifici ingeminate plausum!*

*Incesta sed vix arma quieverant  
en causa vastae cladis acerbior:  
hostile nil victor moratur  
stirpe genus tenuari ab ipsa.*

*Heu, heu, petentes ubera parvulos  
quam saepe sicco pectore depulit  
mater, furensque amplexa secum  
praecipites per inane traxit!*

*Quam saepe natis esurientibus  
extrema flevit dans pater oscula  
feroque per costas adacto  
seque suosque simul peregit!*

*At Vaticanis primus ab arcibus  
calamitosae iura puertiae  
Tu voce tutaris potenti  
atque adeo pietate placas*

*ira tumentes, ut pigeat suae  
hostem vel ipsum sponte ferociae  
largusque conspiret tenellos  
morte greges prohibere saeva.*

*Ah, cur veteris, Maxime Pontifex,  
de pace leges condere publica?  
cur Tu cohaesuris in unum  
non sineris populis adesse*

*Paterque et idem Praeses et Arbiter?  
Petro potestas tradita principi  
est una cui demum volentem  
fata dabunt sociare mundum.*

A. M. CASOLI, S. J.

## EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCII

Iacobus Tasset Felici Ramorino doc-  
tori salutem dico.

Quae mens eius futura sit catholici Parthenonis, quem contemplaris, et optimo consilio Superi faxint instituas, auspicari non erit alienum.

Primo enim sapere debet universaliter catholica, ut est, ea disciplina: quum contra, patriis aut peregrinis in iudicis, institutae singularum iam sint ex parte gentium, quae conveniant istuc puellae. Nam Christi catholica prorsus discipula suum caique tribuat, oportet. Gens autem ipsius, si quidem maiori sit alicui subiecta civitati, principatum sibimet arrogat, studiose ceteras gentes elevans.

Postea latine oportet una quaeque loquatur, si modo velint invicem gregis unius sorores intelligi. Sed a quo nunc singulae discunt, magister infans ipsas, quas docet litteras, sonis adulteratis, ac peregrina versione, perversas paene facit, et irritas.

Denique funditus rem si vis perscrutari, totum corporali est mensurae datum hoc aevum, qua naturae quidem infimae viribus potitus elementariis, sed ipsius humanae imprudens atque divinae, subdola sua consequitur miracula.

« Numina narratis, inquiunt, mores, animas, animarum sententias.

Forsitan haec olim Fauni, vatesque caneant. Sed ista nunc, nec ad civitatis illius magnae notitiam, nec ad sumptum pertinent. At corporis inseparabilis, quod est in aquae parente spiritu biceps: (halteris, quem palaestra recens adhibet, figura), quanta vi, computate, cohaereant ipsius inter se duo puncta, quum vicibus millies non semel millenis, per singulas millies millesimas momenti secundi partes, moveantur! ».

Exsulantibus enim vel contemptis sa-

cerdotibus atque regibus, regnat et docet mathematicus faber, veri nescius, qui *placita* occupat *commoda*. Qui quum sit ei lecticarius vapor et a pedibus aether, orbem possidet, trans Oceanum colloquitur, supervolat nubes, fluctus subternavigat, et in hostem ferrum iaculatus, ignes, venenatos spiritus, se suaque omnia interimit.

Ergo totum - mea quidem sententia - abhorrere ab hoc saeculo et ab hisce prophetis, qui terrestria miracula faciunt, expedit Athenaeum Catholicum puellis omnium gentium instituendis; discedere a nocturnis Sodomorum flammis, et ad Christum mane resurgentem perfugere, conversis a mensura motuque tunicarum mortalium in hominis interioris animum studiis. Ea vero, quae docebit dilectionem Dei, scilicet eius, QUI EST, et proximi veri, per aliquam disciplinam vel artificium, ingressa sacerdotium, caveat aliud, quod est inutile, aut peius, docere. Causas bonas etiam caveat dicere sophistice. Fores horreat artes, et scribendi vias diurni vel etiam diuturni mendacii. Neque bellica nec domestica foveat odia.

Nec facta carnificum sit adiutrix, subveniendi quae suscepit aegris officium, neve quae, per fas ac nefas, ad viva secta corpora cruciatas restringeret animas: sicut Diris dant supplicia pedibus manibusque trunci, quos socio confecit vulneris et curae facinore Tartarus.

Mulieris amictae sole, prae se ferat imaginem instituta, quam docebis, magister bone, in Parthenone persona. Scire conductit, auctore Virgilio, quam piorum pudica genetrix virorum, sit apud probos veteres et omnes in aevum latine sapientes, ipsa venerabilis Venus!

Summa est: speciem illius habere prae oculis, ante omnia creatae; cuius in hac spelunca fructus, necesse est, inter litteratos pelle tenus asinos, et terrena boves colentes, medias ut teneat cunas. Vale.

Dabam mense Iunio, Turnoduro.

## Post septimum centenarium celebratum ARCHIGYMNASII PATAVINI

Solemnibus feriis expletis, quibus septimum archigymnasii Patavini centenarium est celebratum, eventus memoria consecrata est ahenea tabula, in parietibus aulae maxima athenaei illius apposita, cuius textum, ad nos missum ab ipso auctore, litterarum latinarum in studiorum Universitate illa magistro, libenti animo in nostris paginis vulgamus.

Est igitur prouti sequitur:

AN. P. CH. N. CIO 10CCC XXII QUO PERVETUS HOC STUDIUM OCTAVI AETATIS SUAE SAECULI ORTUM CANDIDISSIMUM VIDIT VICTORIO EMMANUELE III ITALIAE REGE AUSPICE ET PATRONO III DIES FESTI ACTI SUNT CELEBERRIMA LEGATORUM FREQUENTIA QUI EX TOTO TERRARUM ORBE CONVENERANT UTI SUAE QUSQUE UNIVERSITATIS NOMINE HUIC ALMAE UNIVERSITATI DOCTRINARUM OMNIA INVENTRICI ET QUASI PARENTI GRATULARENTUR.

A. D. II. NONAS MAIAS ANTE QUAM ILLI DIES ACTI SUNT SENATUS ACADEMICUS HABITUS EST. IN CURIA FUERUNT ALOSIUS LUCATELLO RECTOR MAGNIFICUS, AGEUS ARCANGELI, ERNESTUS BELMONDO, EMMANUEL SOLER, VICTORIUS LAZZARINI, FERDINANDUS LORI, PETRUS SPICA HI SEX PRAESIDES ORDINUM, CAROLUS FRANCISCUS FERRARIS QUI RECTOR FUERAT, LANDUS LANDUCCI, DANTEZ BERTELLI, ALOSIUS DE MARCHI, IOHANNES MARCHESINI, ANTONIUS FAVARO QUI PRAESIDES FUERANT. QUOD VERBA FACTA SUNT DE ILLO-RUM SAECULARIUM MEMORIA CONSERVANDA DE EA RE ITA CENSUERUNT UTI IN HOC ATRIO TOT ILLUSTRUM DISCIPULORUM ARMIS ET INSIGNIBUS DISTINCTO ET ORNATO H. EC TABULA AHENEA LITTERIS INSULPTA PROPONERETUR QUAM RECTOR MAGNIFICUS A. D. XVII KAL. IUNIAS QUI FUIT FERIARUM SAECULARIUM DIES TERTIUS ADSTANTIBUS ILLIS

LEGATIS ET DOCTORIBUS NOSTRIS ET DISCIPULIS SOLLEMNI RITU D'CAVIT PRECATUS PROPALAM UTI HOC LIBERALISSIMORUM STUDIORUM DECUS ET MUSARUM DOMICILIUM DISCENTIUM MULTITUDINE MAGISTRORUM PRAECEPTIS ET AUCTORITATE OMNIA LAUDATORUM ARTIUM GLORIA SEMPER FLORENS CUM OMNI POSTERITATE ADAEQUARETUR.

Q. B. F. F.

Scr. VINCENTIUS USSANI.



## PRO IUNIORIBUS

De primo bello Punico, quod gestum est ab anno CCLXIV ad annum CCXLI a. C. n.<sup>1</sup>

e) Bellum ab anno CCLIV ad annum CCXLI continuatur in Sicilia.

Anno CCLIV Romani nova multarum navium classe expugnaverunt Panormum, urbem potentissimam. Sed quum, anno postero, rursus maior classis pars perisset hieme, in mari pugnare destiterunt. Tum Carthaginenses, ut Panormum recuperarent, copias admovent pedestres, quae anno CCL ad urbis moenia magna clade vincuntur. Postea Carthaginenses, ut fecerant ante, quum venisset Regulus in Africam, de pace agere coeperunt. Ferunt cum legatis Romam missum esse etiam Regulum; sed hunc in Senatu pacem dissuasisse. Livius, Appianus, aliqui tradunt Regulum Carthaginem reversum crudelissime fuisse necatum. Polybius autem, qui ea tempora descriptis uberrime, nec legationis nec mortis ullam facit mentionem.

Pugnatum deinceps est tantum de Lilybaeo et de Drepanis, quae propugnacula Carthaginensibus in Sicilia sola reman-

serant. Romani Lilybaeum, urbem munitissimam, quamquam aucta classe terra marique oppugnabant, omni commeatu maritimo intercludere non poterant.

Anno CCXLIX, quum P. Claudius Pulcher cos., Appii Claudi Caeci f. in portu Drepanitano classem Carthaginem adortus, devincitur, primam magnam cladem navalem accipiunt. Quam illi cladem postea tribuebant consuli, qui in augurio pullos, quum nollent edere, in mare proici iussisset. Eodem anno altera Romanorum classis ad Siciliae oram periit tempestate.

(Continuabitur).

A. HABERL.



## PUGNATOR PAMELONENSIS

Mars saevit horrens arva per omnia,  
Gallosque Iberosque urget ad asperum  
hinc inde letum, dum cruentae  
strage virum cumulantur orae.

Stunt Pamelonis moenia nobilis,  
Ignatius stat munera dividens,  
et arma ponentes ad arma  
concitat imperioque froenat.

Spectandus arcis culmine ab edito  
fortes catervas impiger hostium  
quantis fatigaret ruinis,  
tela rotans iaculansque flamas.

Spectandus in certamine fervido  
non indecoro pulvere sordidus  
virtute fungens martiali  
dum medios graditur per ignes.

Vitae redactus limen ad ultimum  
persaepe pugnae rebus in arduis,  
quod sors bonorum cumque praestat  
vincere sive mori laborat.

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

*Et instituta morte ferocior  
adversa ferro pectora devovet,  
glandesque abacto igni tonantes  
spernit atrox solidumque plumbum.*

*Suismet hostis cladibus excipit  
quid marte possit, conscius et stupet:  
at quid iuvat, si fracta virtus  
iam ruit horrisonis in armis?*

*Durum; vir acer dum generosius  
perire quaerit, nec satis hosticas  
glandes cavet: caesumque crura  
sternit humi violentus ictus.*

*Quam paene furvas vidit inhospiti  
sedes averni! Petrus at indigum  
iuvans alumnus, mortis alas  
continuit volucrisque fati.*

*Simulque fortē machina Cantabrum  
prostravit et vi perculit ignea,  
illi repente afflatu amico  
consilium reserat supernum:*

*« Iam proeliorum desine tristium,  
« vanaque fessum militia latus  
« solare Manresae sub antro, et  
« mitte supervacuos labores.*

*« Depone cristam et galeae iubam,  
« te tolle castris, eripe pulveri,  
« mentemque lymphatam profano  
« martis amore probus coēre.*

*« Hoc caelo amicum est. Splendida prospice  
« patranda quondam quot tibi destinet ...  
« Accingere, Ignati, et lacesse  
« iam nova bella novosque campos ».*

*Sic fatur. Acri pectore deflagrat  
martisque tandem desinit impetus  
insanientis, dum virili  
mente sagax meliora versat.*

G. VENTURINI S. J.

## ANNALES

### Hagensis coetus.

Hagae, in palatio, quod, auctore maxime Nicolao II, infelici illo Russorum imperatore, *Pacis* nuncupatum est, quippe o verborum dissimulations! - in eo internationale tribunal congregaretur, cui munus esset dissensiones atque similitates inter populos eximere et ordinis tranquillitatem servare, die xv superioris mens. Iunii coetus convenit, qui cum Russis res ageret, quae in Genuensi conventu definiti nequierunt. Nationum legati in procurationes tres dispertiti sunt, quorum prima de bonis privatis quaestiones examinaret, de debitis altera, tertia de nominibus sive creditis; singularesque petitiones Russicae legationi, cui praest Litwinoffius, sunt oblatae, quibus ad amissim esset per eam respondendum.

Interim, immo paucis ante diebus, et Societatis Nationum oeconomicum consilium congregatum est, quod nonnulla mandata a Genuensi pariter coetu sibi tradita persolveret.

### Germanicae res.

Dum quaestio de damnis ex bello ceteris nationibus ortis in diariis et publicorum legatorum coetibus legibus ferendis, (in Gallia maxime), semper agitur, Oppeln in oppido pactiones firmatae sunt ad Poloniae tradendam Altae Silesiae provinciae partem illam, ex populi scito ipsi attributam. Itaque inde aliud post aliud ceterarum nationum praesidia opportune retracta sunt. Vulnus vero novum ita multorum Germanorum animos fregit, ut in factiones coirent, quibus esset consilium antiquum rerum statum instaurandi; quem ad consequendum finem ne a suorum qui-

dem sanguine abhorrent. Ex quo factum est, ut Rathenau, ad exteros administer, per sicarios interimeretur die xxiv mens. Iunii super elapsi.

### In Hibernia.

Sed ne in Hibernia quidem contentiones factionum sopitae sunt. Constitutio liberi Hibernici status ita proposita est, ut status ille coniunctim habeatur cum ceteris nationibus Britannicum imperium constituentibus; nationalis sermo Hibernicus esset, sed Anglicus tamquam « officialis » ex lege recognosceretur; viri mulieresque iisdem iuribus, suffragii iure non excepto, fruerentur; animi, sive, prout vulgo dicitur, « conscientiae » libertas esset inviolabilis, neque ulla lex sanciri posset, quae inter unam vel alteram religiosam confessionem discrimina induceret; typorum pariter libertas, itemque conventus atque societatis probaretur. Publicorum vero coetuum legati, sive designati sive in comitiis electi, fidei iusurandum Anglorum regi praestabunt, nec leges sine regis assensu vim accipient, cuius vices Praefectus sive Gubernator generalis in Hibernia geret. Regii praeterea Britanni consilii iudicaria sessio tamquam appellationis tribunal erit constituta in iudicia Hibernici tribunalis. Denique sine publici Hibernici coetus sanctione Hibernorum populus belli cuiusvis particeps, nisi invasionis causa, nunquam fiet.

In huiusmodi pactiones voluntarii reipublicae milites, quemadmodum vocantur, insurrexere. Pugnatum itaque est ad Ulster fines in ipsaque urbe Belfast, et Willsonus mareschallus, cui mandatum fuerat ad illam urbem proficisci ut ordinem restitueret, proditorie interemptus est Londini, antequam mandatum idem exequi posset.

\*\*

### Civile bellum in Sinis.

Civile bellum pariter in Sinis fervet. Quamquam recentes nuntii retulerunt inferius gubernium, post magnam cladem acceptam eiusque praesidem Sun-Yat-Sen in fugam missum, cum nordico unionem fecisse. Sed quoque tandem?

\*\*

### Regales nuptiae.

Bellogradi die viii mens. Iunii sollemni pompa nuptiae celebrate sunt Alexandri, Serborum regis, cum Maria, Rumenorum regis filia.

Kalendis Iuliis MCMXXII.

POPULICOLA.

## ROMA SACRA

### Ex Congregatione S. Officii.

Per decretum d. xix mens. Maii MCMXXII proscriptum, damnatum atque in Indicem librorum prohibitorum insertum est opus, cui titulus: *Die heiligen Schriften des Alten Bundes*, von DR. NIVARD SCHLÖGL, O. Cist., erster Band.

Per decretum d. II mens. Iunii MCMXXII prohibita ipso iure sunt, ad praescriptum can. C. I. C. 1399, 2o, 3o, 6o, 8o, 9o opera omnia auctoris ANATOLE FRANCE, eaque in Indicem librorum prohibitorum inserta fuere.

Per decretum denique d. xiv eiusdem mens. Iunii intimata est excommunicatio in Sacerdotes adhuc participes damnatae Societatis Tchecoslovachien. *Iednota* quae appellatur, reprobatusque, damnatus atque proscriptus est commentarius, cui pariter titulus *Iednota*, extensaque expresse excommunicatio Sedi Apostolicae speciali modo reservata

in can. 2318 § 6 statuta, ad eiusdem commentarii editores, defendantes, legentes ac retinentes.

#### Ex Congregatione Rituum.

*Circa Missam de requie in translatione cadaveris olim humati.*

Proposito dubio utrum Missa de requie, quae celebratur in translatione cadaveris iam humati in definitivam sepulturam, gaudeat privilegiis Missae exequialis, ut in die obitus seu depositionis, quamvis exequiale funus peractum fuerit occasione praecedentis sepulturae, responsum est: Negative, sed ad casum propositum eadem S. C. extendit privilegia contenta in novis Rubricis Missalis tit. III, de Missis defunctorum, n. 6 (Ex rescr. d. XVI mens. Iunii MCMXXII).

#### Ex Pontificia Commissione ad Codicis I. C. canones authentice interpretandos.

*De electione et postulatione, dubia.*

I. Utrum ad normam can. 180 § 1, concurrente postulatione cum electione, si in primo, altero et tertio scrutinio suffragia dividantur inter postulatum et eligibilem, atque nec postulatus duas tertias partes suffragiorum obtinuerit, nec eligibilis maioritatem absolutam, sed relativam tantum, hic valide electus sit. – Resp. affirmative, seu in tertio scrutinio valide eligi maioritate relativa excluso postulato.

II. Si plures sint elegibiles, utrum valide electus sit qui inter eos maioritatem obtinuerit relativam. – Resp. affirmative, seu inter eligendos valide eligi eum qui obtinuit maioritatem relativam, excluso, hoc quoque in casu, postulato.

*De reservatione dignitatum.*

Utrum, ad normam can. 396 § 1, Sedis Apostolicae reservetur collatio dignitatum, quae nullam praebendam, nulla emolumenta, aut valde exigua, adnexa habeant. – Resp. affirmative.

(D. I mens. Iulii MCMXXII).

#### VACUI TEMPORIS HORA

Rosa ... rosam parit. Scilicet socius alter - hic vero anonymous - perfecta rosae descriptione, quam in superiore numero retulimus, alterum rosae exemplar nobis obtulit, a P. Ferrario oratione XXXI. Haec est **Rosa sinensis**, ab auctore « una Rosarum regina » appellata, quippe versicolore prodigio antevertit hortorum laudibus ceterorum. « Videas - inquit - primum tretum crebrisque oculis distincto ac subalbido caudice, nullis armatam spinis innotenter, clementerque arborescere, ut quam nusquam hactenus invenieris inermem, nudamque ab omni doloris aculeo, floridam voluptatem ipsa promittat. Videas deinde frondibus, forma pampineis, scabritie fuculenis, magnitudine utrasque imitantibus convestitam e smaragdino dehiscentis calicis conclavi, multiplici foliorum syrmate regaliter explicato, in publicam lucem prodire, lucis ipsius formosa discrimina sic aemulantem, ut primo quidem candidam, deinde ex candida rubentem, postremo saturo colore purpuream, hoc est simul aliam, simul eamdem admireris; et quotidiani miraculi novitate fateri cogaris, ad florum reginam, quae tamquam sol alter vario fuco lucis coloret dies, colorum principes vicissim accedere tributarios ».

\* \*

Non vero Anonymous ille meus hac rosa est contentus; namque et **de Caryophyllo** descriptionem ab eodem Ferrario exarata, in opere cui titulus *Flora* hisce conceptam verbis, ad me misit:

« Ut coronariae vettonicae, sive, vulgatore nomine, caryophylli discrimina internoscantur, ambiguae fidei semina, et folia inconsulte consuluntur. Florens enim iste in omnem varietatem Proteus, nullius hactenus Aristaei calliditate, ut vera prae monstraret, deprehendi potuit. Saepe fit,

ut pulcherrima indicia florem spondeant pulchriorem; flos deinde promissus turpiter degeneret. Quare, dum florent, plantae praesignanda et probabiles ab abortivis segreganda sunt: eadem enim facies bonis malisque promiscua ex facili fallit. Publicum est omnium niti radicibus lignosis, subrufis, aut albidis multiplici fibra crinitis, in foliaceos saepe surculos abeuntibus; inde caulinos exsistere teretes, graciles, in ipsa gracilitate ligneam duritatem affectantes, pyxidatis geniculis articulatos, foliis obseptos geniculatum inter se adversis, brevibus, carinatis, in viridi colore plerumque glaucis; summos calyces multifidis calyculis suffultos, oblongos, glabros, extremas per oras orbiculatum denticulatos in flores hiscere modo simplices, modo foliosos, suppari amplitudine rosas proximos, brevibus frequentius, interdum etiam profundis lacinias incisos, mira varietate coloratos, inter aromata nobilis caryophylli tum odore, tum nomine insignitos; arefactis demum floribus, longos ac duriusculos calycibus inclusos foliculos plano et nigello semine turgescere. At vero caryophyllus pleno flore minute alteque insecto pinnatus, seu fimbriatus, et minor et maior aperte proditur saturatae fuscaeque viriditatis folio: ille praete rea minutulo secernitur a ceteris ».

Post haec, ab anonymo meo exspecto ut et de aliis floribus paginas a Ferrario depromat; plures namque debet habere, si *Floram* edidit.

\* \* \*

Interim ad Bernerium revertamur. **Magni globi ludus**, quem Itali *Gioco del pallone* vulgari voce appellamus, hodie sub nostris oculis est, eoque magis eum admiramus, quod non Romae solum, sed per omnem Italiam passim, aestivo praesertim et autumnali tempore, coram magnō adstantium numero etiam nunc certatur; imo etiam *Sphaeristerium* in Urbe adhuc in

colle Quirinali extollitur; nescimus casu aliquo an ob constantem saeculorum traditionem; quae quidem ex eo nasci potuit, quod illic, elatiore in loco, leves zephyri maxime spirant:

Mons ubi consurgit celeber qui grande Qui-

[rini

Nomen habet, ludis area lata datur.

Hic exercetur, qui praestantissimus exstat.

Ludus, quem pariter Musa iocosa canit.

Ex triplici fit pelle globus, quacunque ro-

[tundus

Ex parte; harum pars una foramen habet.

Est tubus ex aere, hunc implet versatile li-

[gnum,

Quod nempe impugnat mox agitanda ma-

[nus,

Vi sursum trahitur, vi pellitur inde deorsum.

Assiduus labor in motibus hisce datur.

Qui est circumpositus sic ergo intruditur aëris.

Hic in subiectum nempe foramen abit.

Compresso impletur globus aëre, et inde tu-

[mescit:

Sic mole est maior, qui fuit ante minor.

Fit quoque congeries fluida: haec permixta

[farinae

Est aqua, tunc intus ponitur iste liquor.

Sic globus ille magis gravitat, sic aptior exstat.

Ictibus, hos lusor protinus ergo parat.

Quoddam exstat lignum, dederunt cui brachia

[nomen;

Brachia lusorum fortia quippe facit.

Estque cavum latumque, tubi maioris ad in-

[star,

Non leve, nec nimium ponderis illud habet.

Cuspide multiplici pars tota externa repletur.

Parvae ut pyramides singulae acumen ha-

[bent.

Brachium inest per vim clausum, ad cubitum

[usque, nec ultra;

Transversum est lignum: hoc arripit ipsa

[manus,

Lusores quattuor sunt una ex parte, sed ex-

[stant

Ex alia totidem, robore et arte pares.

Incipiunt ergo primas deponere vestes,  
Ut sint ad motum membra parata magis.  
Alba sibi tantum ex lino indumenta relin-  
[quunt,  
Inde solent nodo iungere retro comas.  
Ergo qui debet ludo inservire minister,  
Ut possint illi ludere, cuncta parat.  
Impugnans globulum, prius undique carne  
[suilla  
Ungit, ut extrudi sic queat ille magis.  
Proiicit inde, (parum cum distet) brachia ver-  
[sus  
Lusoris primi; hic fortior est reliquis.  
Occurrit certe iste globo, qui viribus addens  
Vires, recto illum tramite abire facit.  
Impetus impressus paullatim deficit. Alter  
Collecto in vires corpore lusor adest.  
Stans ex adverso labentem exspectat, et ictum  
Praeparat, hunc tandem vibrat, et ille redit.  
En iterum occurunt hostes, iterumque repel-  
[lunt  
Et nunquam statum sic agitatus habet.  
Neglectus tandem, qui turgidus ante, per auras  
Mille ferebatur plausus; exstat humi.  
Concutit hic pedibus, procul eiicit alter, et  
Iactrae causam quippe fuisse putat.  
Lusores quam saepe errant, nam causa fre-  
[querter  
Errandi, ludi lege iubente, datur.  
Ducitur in longum constructa ex marmore  
[quaedam  
Linea, ludendi signat et illa locum.  
Dividit hunc alia, at brevior transversaque,  
[utramque  
Observat cautus lusor, utramque timet.  
Nam globus a primo dum recta impellitur  
[ictu,  
Ultra hanc, non tacta, pergere debet, humo.  
Extra aliam vero, quae longo tramite ducta  
[est,  
Si cadat, est error, ni quoque tangat humum.  
Ergo alterna intus fieri concussio debet,  
Fitque repercuesso parte ab utraque globo.  
Hic ubi consistit, famulus signacula ponit;  
Sunt haec, ex corio conglomerata, duo.

Pars adversa, globum impellens ut decidat  
[ultra  
Signum, et ibi sistat, quaeritat artis ope.  
Saepe repercuesso invadit, terraeque propin-  
[quat  
Et per humum excurrens, iste redire nequit.  
Tunc quaedam numerant victores puncta, re-  
[ferre  
Musa negat, cunctis sunt ea nota nimis.  
Lusor at interea, reliquis qui robore praestat  
Promptus adest, altum cum videt ire glo-  
[bum.  
Exclamat procul: « O socii, meus iste sit  
[ictus;  
Adsum; heus tu quid agis? Siste, relinque  
[mihi. »  
Durae at cervicis socius parere recusat,  
Invitoque alio percutit ipse globum.  
Sed cum proiciat ludi extra limina, magnus  
Fit populi adstantis clamor, at ille silet.  
Plurima sed loquitur, qui iam ante paraverat  
[ictum,  
Nec quae turpe sonant verba referre timet.  
At res mira quidem, qua nos et plura doce-  
[mur,  
Plausibus eximiis dum globus alta petit.  
Incidit in lapidem, fit protinus inde foramen  
Perque illud, facto murmure, ventus abit.  
Deficit ergo tumor, neglectus pellitur extra  
Ludum, qui rapuit lumina cuncta prius.  
Vera nimis documenta latent sub imagine  
[ludi;  
Expedit; ut pateant, nosque docere queant.  
Saepe tument homines; hos laudum scilicet  
[aura  
Implet; adulator turgida verba canens.  
Inflatos hinc inde agitant, ludentis ad instar,  
Spes vana, ambitio, et crimina plura simul.  
Saepius elati fiunt spectacula Gentis,  
Fiunt depressi saepe cuique iocus.  
Dein iterum surgunt, vexantur et undique,  
[nunquam  
Cum sistant, illis non datur ulla quies.  
In lapidem offendunt, pereunt, lapis iste se-  
[pulcrum est.  
Ergo horum vitam quis neget esse iocum?

## Icosa

Inter Dominum et Inquilinum.

— Nisi intra decem dies pensionem domus persolveris, vi per publicos apparatores ab ea te eiiciam.

— Quaesito, ne mihi hanc infamiam inferas! Potius pensionem mihi adaugeas, duplices!

Quaeritur a Tuccio:

— Quod tuum est cognomen?

— Hugolinus.

— Numne a celeberrimo illo Comite ortus es, de quo Aligherius cecinit?

— Minime quidem, quod sciām ...

— Illum dico Hugolinum, qui fame consumptus est.

— Ah! si fame periit, ab eo profecto originem familia mea repetit!

## Aenigmata

## I.

Si dulce *extremo*, caelesti munere, *primum* est,  
Suaviter humanis auribus omne sonat.

## II.

Sum *verbū*? Carpturus iter me saepius audit.  
Sub *nōmen*? Signo, Naso, poēma tuum.Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Tellus*; 2) *Cae-  
res, Caedes*.

## IOSFOR.

*Nullum nefas est sine exemplo.*

SENECA, Epist. 76.

*Imbecillae mentis est formidare inexperta.*

SENECA, Epist. 61.

## LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

FR. XAV. REUSS, SS. R. *Nova tentamina poëtica*. — Romae, typis Cuggiani, MCMXXII. — Vol. pag. 350, ven. lib. 8.

Francisci Petrarche laureati Rerum seniliū lib. XIII. Ad magnificentum Franciscum de Carrara Padue dominum epistola 1: Qualis esse debeat qui rem publicam regit. — Feriis saecularibus almae Universitatis studii Patavini, rogatu Mariae Papafava de Carraria, editit VINCENTIUS USSANI. — Collegium typographorum Patavinum excudit an. MDCCCCXXII.

Lettera di Francesco Petrarca al Maestro Francesco da Carrara Signore di Padova. Delle senili lib. XIV, epist. I: Sui doveri del Principe. — Traduzione di Giuseppe Fracassetti, riveduta da CARLO LANDI, ristampata nella ricorrenza del settimo centenario della Università di Padova, per cura di Maria Papafava dei Carraresi. — Società cooperativa tipografica. — Padova, 1922.

P. VITTORIO GREGORI dell'Istituto di S. Carlo per gli Emigranti Italiani. *Come pregavano i grandi*. — Genuae, typis O. Moruzzi (Mura Zingari 1-2, palazzo Doria), MCMXXII, ven. lib. 10.

Les pensées choisies d'Alexandre Mercereau. Préface de CARLOS LARRONDE. Notices bibliographiques. — Lutetiae Parisiorum edidit Eugenius Figuière (17, rue Campagne - Première, 14e). — Vol. 2, ven. fr. 10.

Only by the Abolition of Neutrality Can Wars be Quickly and Forever Prevented... by LUIGI CARNOVALE. — Editio V — Chicagine edid. Societas Italo-Americana (30 North Michigan ave. — Room 930).

Necesse est multos timeat quem multi timent.

SENECA, De via, lib. II.

Caeco lumen, surdo sermonem, sapientiam bruto offerre, labor irritus.

CYPRIANUS.

FABRI RICENS DODA MCCCLII

## LEO IV

14

## ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA.

## SCENA VII.

ORATOR NEAPOLITANUS et DICTI.

NUNCIUS. In aula, Pater, Oratores Neapolis  
Adsumt, et posse Te requirunt loqui.  
Tibi lubet, Pater?

LEO. Videre perlubet,  
Diu vocare quos consuevi socios.<sup>1</sup>

ORATOR. Iuvat Te nostro primum salvare no-  
[mine,

Dein Neapolis, Pater Sanctissime.  
Tuis enim modo defensa gladii,  
Consilio, multos collegit milites,  
Eosque exercuit duris laboribus  
Ut hostes ita debellaret undique.  
Tuis nam monitis, tua prudentia,  
In unum corpus fortiter compositi,  
Urbem, litusque circum nos defendi-  
[mus.

Erat tuum modo nomen auxilium,  
Causa concordiae, spes et victoriae.  
Nec nos fefellit maxime fiducia.  
Dei nam fretus unice proposito,  
Doces quod est iustum, salvet quod po-  
[pulos.

Nobis Neapolis commisit valida,  
Ut foedus denuo fas sit coniungere,  
Et omnes vires simul iunctae Italiae,  
Tui praescripto ducis et consilio,  
Fidenter hostes repellemus admodum.  
Hoc ita munus gratum civitatibus,  
Tibi nos Itali libentius damus.

LEO. Haud sunt agendae gratiae nisi Deo,  
Regit qui cuncta, dissipat et colligit...  
Neapolis potest cum civitatibus,  
Circum quae littus habent Italiae,

Hostes in altum repulsare proxime,  
Sicut modo cunctae si unitis viribus ...  
Et ipsa Roma de salute cogitat,  
Et fert ut olim denuo militiam,  
Novit periculum prorsus esse in mora.  
Manete in Urbe, liberi vagamini,  
Ite quocumque, si per tempus libet;  
Videte vosmet quid Romani fecerint.

## SCENA VIII.

OCTAVUS et DICTI,  
deinde NUNCIUS ALTER et CONSTANS.

OCT. Pater Sancte, tristis venio nuncius!

LEO. Quid ais, fili? Narra, dic ...

OCT. Multi milites  
Manu percussi cecidere subdola!  
Et multi strepunt, remugunt, murmu-  
[rant,

Clamat furentes, increpat Pontificem,  
Vocant malorum causam et perniciem ...  
Suis ipsum Barbaros armis impellere ...  
Et ista fama serpit inter milites.

PUBL. Facit quid Constans?

OCT. Quid dicam? Disparuit.

PUBL. Eius quid socii, quos ante posui  
Hic, illic omnes regerent ut ordines?

OCT. At ipsi primum suscitant incendium!

LEO. Heu! quid narras!

OCT. Verum!

LEO.<sup>1</sup> Sic tu sollicita,  
Accurre citius ... Cunctas rumpe moras.<sup>1</sup> Ad Publum.

(Ad proximum numerum).

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Sponsor.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

<sup>1</sup> Ingrediuntur oratores, qui totam fere aulam implent.